CORONA CORONARUM ORBIS,

Gemmis miraculorum distincta,

& simul sui

CORONATRIX,

Augustissima Cœli REGINA,

Beatissima Virgo

MARIA,

in Arce Clari Montis,

à Sanctissimo Domino Nostro,

CLEMENTE XI.

PONTIFICE MAXIMO,

& Eminentissimo Vaticano Collegio,

ad Confluxum Regni Procerũ,

CORONATA;

devoto cultu

Collegij Petricoviẽsis Piarum Scholarum

ADORATA.

Anno 1717.

VARSAVIÆ, Typis S. R. M. in Collegio Scholarum Piarum.

Accipiet regnum decoris & diadema ſpeciei de manu DEI.
Sap. 5.

Corona regia pretioſiſſimum habens lapidem, & gemmis ſimilem Chriſtum.
S. Epiphan: Orat: de Laud: B. V.

Ita coronaberis, ut & in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina ſis regnorum. Reges atq; Imperatores Coronis ſuis Te coronabunt.
Rupertus lib. 3. in cap. 4. Cant.

Admodùm Reverende Pater,
Ordinis S. PAVLI Primi Eremitæ,
per utramq; Poloniam, Silesiam & Pomeraniam,

PROVINCIALIS.

Pater & Patrone Colendissime.

IMperio Mariano, quod inter tot orbis Coronas renovat, non de novo accipit Augustissima Cæli & Clari Montis Regina, cum vectigali cultu devota accidit Scholarum Piarum Matris Dei Religio, in Tuasq; manus fidelitatis deponit Sacramentum; Admodùm Reverende Pater Provincialis. *Si inter Cives tantæ Regnatricis minimo Nostro Cætui numerari fas erit? sed si non plus, micas certè de regia Cælestis Dominæ mensa, Calasantius impetrabit Catellus. Nisi Syrium di-*

xero

xero, qui insigni adeò pectora Nostra incēdit pietatis æstu, ut restingvi aliter non potuerint, quàm temperatâ in Fonte Signato *&* Coronato *siti. Exprimere illud solatium, quod è felicissimo Imperatricis Nostræ progressu concepimus, non possumus, nisi Tu* Admodùm Reverende Pater Provincialis, *interpretem a nobis agas, utpote a latere adeòq; a corde MARIÆ, primus non regiæ hujus tantùm pompæ, sed & aulæ Marianæ Gubernator. Non denegabis ut speramus, Tuam Supplicibus operam, MARIÆ Servos asseres in Tuos.*

Ex Voto

Admodum *R*everendæ Paternitati Vestræ

Patri Colendissimo Æstimatissimoq;

Devinctissimi Collegij Petricoviensis

Scholarum Piarum.

GEMMA I.

SEU

Origo Miraculosæ Imaginis Claromontanæ.

APellem agat Orator
ut Marianam adumbret Imaginem,
quamvis vix adumbrari possit Princeps Siderum.
Si Colores eloquentiæ defuerint,
minium vultûs erubescentis suppleat.
Ferè nunquam sinè pudoris murice purpurata nomina aggredimur,
Pingat Calamô
quam Sacer Evangelista depinxit penicillô,
ut non tantùm *speciosi* sint *evangelizantium pedes*
sed etiam manus,
quæ speciosam inter filias Jerusalem,
tam venustè depinxerunt.
Divo Lucæ publicam debet lucem
Lucis filia.
Umbrarum nesciam, umbris penicilli illustravit.
Ita magnis Sideribus, minores etiam Stellæ auctuario sunt.
Nec ab alio convenientiùs
hæc Icon pingi debuit
quàm à Medico,
quæ ab Hussitis fuerat vulneranda.
Grave vulnus innocentiæ, inultum scelus.
Super mensam Nazarænæ Domûs effigiavit Virginem,

ut, quæ *Cibus Grandium* Gerſoni eſt MARIA,
mortalium palato magìs ſaperet.
Solis menſam extra Ægyptum dixeris,
quæ *Electam ut Sol* MARIAM repræſentat.
Et quamvis æternitati pingeret,
in cupreſſo tamen morti Sacra
magni momenti elaboravit opus,
æternum & immortale futurum ratus,
quod ordinatam ab æterno MATREM vitæ referret.
Nec ſpes fefellit Lucam;
tribus ſæculis duravit Jeroſolymis
creata ante ſæcula.
Verè beata *pacis Viſio* Jeruſalem!
quæ tamdiu beatificum illius ſpectabat vultum,
quæ facta eſt coram DEO pacem reperiens.
In domo JOANNIS aſſervabátur,
quia gratiarum Parens
non niſi apud *Gratiam* habitare debuit,
& Diſcipulus qui MATREM accepit in ſua,
etiam MATRIS ICONEM domô recipere tenebatur.
Inanimatis coloribus animam ſuam affixit.
Argumentum veri amoris eſt, etiam umbram amici colere.
Non potuit diutiùs manere Solymis,
ubi lapis ſuper lapidem non remanſit.
Solvuntur facilè Saxea propugnacula, ubi homines in ſaxa còáleſcunt.
Ita quæ *gyrum Cœli Sola circuivit,*
etiam terras in Imagine voluit luſtrare,
miraculis, non paſſibus orbem emenſura.
Helena Conſtantini Mater
potiundæ Sacræ ICONIS deſideriò exarſit;
quaſi Imperatrix eſſe non poſſet,
niſi *Ancillam Domini* Solio inferret;
parumq; benedictionis Divinæ ab inventa Cruce poſſideret,
niſi *Benedictam inter mulieres* apud ſe retineret.
Deſolantur Coronarum ſphæræ, niſi à cælitibus incolantur.
Obtinuit, quod expetijt;

Divam

Divam Effigiem Constantinopolim transtulit,
pulchrâ satis & cum Virtute metaphorâ,
quemadmodum factæ Virtutes testantur, & miracula,
necnon tot mortui ab inanimatis ad animatos transcripti,
Fæcundantur gratiæ ex consortio ut Superorum, sic Principum.
Primùm in loco *Tribunal* dicto collocata
ut Solis *Justitiæ* MATREM scias.
Cedant secures securitatis Dominâ curiam defendente.
Basilicam deinde Pulcheria Augusta illi exstruxit,
quam Virgo Augusta & *tota pulchra* inhabitaret,
Suffragium quoddam est à magnis Nominibus ad magna Numina.
In *Via Ducum* hæc stetit ædes;
vel ut pervius & facilis omnibus accessus esset,
vel ut viæ Ducem ad patriam MARIAM cognosceres,
vel quod statariam Bizantij non figeret mansionem,
quæ aliò parabat iter.
Nam post quinq; sæcula perrexit in Gallias,
Carolo Magno donata ab Imperatore Nicephoro,
ut inter Gallorum *Lilia* habitaret,
quæ in Patria florum Nazareth progenita,
jam *Rosa Mystica*,
jam *Flos Campi* gaudet appellari.
Et hæc est vis summa majestatis, quævis regna peragrare ut sua.
Lætum Gallus cecinit epinicion,
postquam diem felicitatis sibi oriri sensit,
ad hujus *Matutinæ* exortum *Stellæ*.
Sed breves lætitiæ plausus, longa excepit tristitia;
Leo enim Russorum Princeps,
qui Carolo contra Saracenos astitit in prælio,
præmium laborum Virginis Iconem postulavit.
Penates Dij omni pretiosiores munere Æneæ,
Leoni MARIA.
Cecidit ad pedes Caroli,
ut voti compos assurgeret.
Victorem se de hostibus non rebatur,
nisi *exaltatam in Cades Palmam* reportaret in Russiam,

Arescunt Victricia serta, quae aris non litantur.
Successit votum;
impetravit MARIÆ effigiem LEO,
quæ Leonem de tribu Juda mundo importavit.
In Castro Belzensi
Castrorum Aciem Ordinatam collocavit;
minùs munitum ratus Fortalitium,
nisi *Turrim* haberet *Davidicam*,
ex qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium.
Optimum est armorum præsidium, ab astrorum præside.
Quingentis hic dimorata annis,
festinavit in montana Częstochoviæ,
ubi non unum sanctificavit Joannem;
id est, ex mancipio iræ, filium gratiæ fecit.
Claritatis MATER Montem Clarum ascendit,
ut ex alto videret miserias populorum,
prospiceret necessitatibus Regni.
An Speculam diceres?
è qua hostium stratagemata notaret,
ut hostes Patriæ necaret.
Nisi malis Sanctam Civitatem vocare,
cujus *fundamenta in Montibus Sanctis*,
Magnarum alarum hæc Aquila,
super Petram nidificavit.
Salvatricem generis humani Arcam appella,
quæ in publicæ infelicitatis cataclysmo,
non super juga Armeniæ,
sed super Poloniæ collem stetit elevata.
Exultavit Mons Clarus *velut Aries*,
Horoscopo tanti solis exornatus
Crevit quodãmodò altiùs, & intumuit,
quia apparuit *Mons præparatus Domino in vertice Montium.*
Ita nimirum celsa virtus petit, quæ nihil humilis agit.
Evocati

Evocati ex Hungaria,
Religiosi S. Pauli primi Eremitæ Filij,
qui vigiles ejus servarent custodias,
quæ juxta Epiphanium multocula pro nobis effecta,
vigilat super gregem suum.
Nec alteri committi potuit promovendus MARIÆ cultus,
quàm cultori Eremi PAULO.
Vas Electionis, Electam è millibus capit.
Primus hic fuit, qui solitudinem incoleret,
solâ cælitum frequentiâ stipatus,
unde & in colenda Virgine nulli secundus,
adeòq; felix.
Cultu Superûm potiùs,
quàm culturâ agrorum prosperantur imperia.
Palmarum folijs tegi solitus,
mundi & orci Victor,
serto Mariano redimiri voluit.
Stetit ergo in Majori Templi Ara Virginea EFFIGIES,
& simul in adorationem populus cecidit;
qui adeò concurrebat numerosus,
ut Augusta basilicæ moles angusta videretur,
& erectâ Capellâ debuerit dilatari.
Ingens magnitudo difficillè concipi, nedum capi potest.
Cogitavit de Sacello MATHIæ ŁUBIENIJ CAPUT,
in quo non vanæ & infimæ species,
sed MARIANA & alta hærebat IMAGO.
Magis illud anxia de loci angustijs pungebat sollicitudo,
quàm avitus temporibus infixus ENSIS.
Optima Antistitum cogitatio, quæ ornamento Divorum impenditur.
Nimirum Primas Regni, Primusq; Princeps,
inter prima Reipublicæ negotia illius honorem posuit,
quæ prima in negotiationem salutis humanæ assumpta est.
Et hæc Maxima sors in Mathiam ceciderat,
quod Fundatoribus loci est annumeratus.

B Non

Non postremæ felicitatis est,
exspoliare æraria, ut expolientur aræ.
Accessit in societatem laboris,
GEORGIUS OSSOLINSKI,
Comes in Tęczyn, Regni Cancellarius,
Comitem aliàs se dici non pateretur,
nisi ad sumptus Sacelli se adjunxisset.
Verus Fortunæ Patriæ Faber,
postquam fabricam immortalis gloriæ
avitâ securi exstruxisset,
Cælorum Reginæ aram.
Non sinè omine
OSSOLINIA Lunam præfert ASCIA,
dum illi sacrum elaborat altare,
quæ *pulchra ut Luna* spectatur.
Etiam cerâ Cancellariâ, Fons Noster MARIA signari voluit.
Aurei sanè Proceres,
qui auro suo non parcunt,
ut ferreæ templorum necessitati succurrant.
Illuxerat festa salutatæ ab Angelo Virginis dies,
quæ simul æterni Patris Imaginem,
in Virginalem uterum,
simul MARIÆ MATRIS ICONEM,
transtulit in Sacellum.
Atlantes huic Cælo ferendo suffecti,
MATHIAS ŁUBIENSKI Gnesn: Archiepiscopus,
& PETRUS GĘMBICKI Cracoviensis Præsul,
geminos diceres penes Arcam Domini Cherubinos.
Nec alijs illam deferri conveniebat humeris,
quàm quibus tota Reipublicæ moles incumbebat.
Quid illis grave humeris?
quæ sarcinâ Deô gravantur, nec fatiscunt.
Portabatur à Præsulib⁹, quæ portat orbē,
Venit

Venit ad præparatum ſibi thronum,
DEI Thronus,
ne ſuâ Poloniæ Regnum careret Reginâ.
Felix imperium, ubi Superi regnant,
& Reges in Superos aſſeruntur.
Sed ô ſcelerum licentiam!
ubi ſemel frænos ejecerunt.
Detona in impios calame!
cùm fulmina Cæli langveſcunt.
Ita plerumq; Numen præterit reos,
ut graviùs reatum vindicet.
Tu maledictis laceſſe perfidos,
qui *Benedictam inter mulieres* probris affecerunt.
Expungendi calamô, qui malefactis pungunt oculos.
Huſſitæ ſunt,
Joannis Hus Sectarij, quos inſequeris;
O quam abortivum hoc Nomen!
gratias ſpirat,
& gratiarum MATREM peſſimè tractat;
Injuriantur ſanctiores Nomenclaturæ,
dum improbis obtingunt.
Ipſa Reſurrectionis Dominicâ,
intumulare decus Poloniæ auſi,
& ubi mortua revixit vita,
illi mortes addenſant.
An ſemper invidiæ nubes Solem gloriæ occulere nititur?
Clarum aſcenderunt Montem,
ut prædâ onuſti in præceps irent.
Sed cùm deeſſet aurum, quod numerarent,
aurô pretioſiorem vitam Religioſis ſubtraxerunt;
quaſi ideo Dominus vacuum reliquiſſet ſepulchrum,
ut illi impleviſſent.
Sic nimirum cum Sol exoritur, minora occidunt aſtra.
Incidit tunc in latrones,

etiam Virginis Icon,
à quibus non expoliata tantum,
ſed etiam vibicibus profanata.
Quò per calcatas virtutes aſcendit hominum malitia!
nullum æſtimat diſcrimen, cui cordi eſt crimen.
Quidam enim audacior reliquis,
hominem exutus, feram induit;
ſtrinxit ferrum, ipſe ferreus.
Crimen læſæ majeſtatis nihil veritus,
in Reginæ Cæli Vultum, manum levavit effrons;
Faciem inciſô notavit, cui punctum vitæ debemus;
peſſimus ſanè MARIANæ Inciſor Menſæ.
Et quid diviſus ab unione fidei ſectarius faceret,
niſi ſciſſuras?
Legite Poſteri Characteres!
quos ferreô ſtylô
in Virginea tabula indelebiles ſcripſit impietas.
Meſſem gaudiorum ſperate Poloni!
jam nunc Virginis genæ,
ſicut areolæ Aromatum,
quas impius aravit mucro.
Judicium expectate hæretici!
jam in Sole, Luna, & Stellis apparent ſigna,
dum in illius ICONE,
quæ quaſi Aurora Conſurgens,
pulchra ut Luna,
electa ut Sol reſplenduit.
Nullô certè obliteranda ſæculô, veſtigia furoris ſui
reliquit Bohemus.
quæ in facie *ab æterno Ordinatæ* poſuit,
Muti etiam oris colores, loquentur ſcelus.
Deleri & emendari non poteſt cicatrix,
ut in ſpeciem lingvæ arguat ſemper Huſſitas ſceleris.
Longa hæc cæſura eſt,

Ita

brevi aboleri non poteſt jacturâ.
Ita criminum veſtigia nec eradi, nec elui ſinunt,
qvo irrepſerunt.
Verum
deſine calame MARIANUM renovare vulnus,
quod nec penicillô patitur innovari.
Compungere,
dum compunctam Divæ cernis IMAGINEM,
Oculi litrô, manûs delicta obliterantur.

GEMMA II.
Sive
Summorum Pontificum in Divam Claromontanam affectus & Reverentia.

ETiam orbis Caput Roma
Częſtochovienſis Divæ acclinatur plãtis,
& mundi Domina *Ancillam Domini* veneratur.
Nulla tantùm aſſurrexit Majeſtas,
quæ non infra Majeſtatem eſſet MARIÆ.
Quaſi ideò ſeptem elevetur collibus,
ut meliùs ex alto
Claromontanæ Virginis honori proſpiciat.
Quotquot Vaticanam aſcendunt Cathedram,
ad hujus Divæ cadunt, & deſcendunt veſtigia.
Glorioſus ſanè caſus,
qui gradus eſt ad Cæli faſtigia

URBANUS VIII.
erga Częstochoviensem MATREM Urbanissimus;
piscatoriâ PETRI cannâ,
amplissima Loco scripsit privilegia;
& Apostolicis Clavibus
thesauros aperuit gratiarum,
ut scias aurifodinas Claro Monti inesse.
Filius Columbæ dici non sustineret,
nisi hanc *Noemi* veneraretur *Columbam.*
Tunc primò Petri Naviculam optimè se putabat regere,
cum plenô Tyberi
Claromontanæ honori Virginis cæpit velificari.
Pro Festis Natæ, Annuntiatæ, & Purificatæ MATRIS,
plenariam eamq; perpetuam
Claro Monti concessit Indulgentiam,
Congruum ratus
ut cum nata vitæ Matre, mortui DEO renascantur peccatores;
& ubi gratiâ plena annuntiatur MARIA,
eâdem mortales non sint vacui,
ubi Lumen ad revelationem gentium prædicatur,
in tenebris peccatorum animi non versentur.
Plus ultra processit URBANI pietas!
Pænitentiariam ad instar Lauretanæ Domûs
per specialem erexit Bullam,
ut lachrymis, pænitentibus MATER solatiorum coleretur,
& cordis contritione honoraretur illa,
quæ caput contrivit serpentis.
O! felices oculorum officinæ!
quæ dum lachrymas promunt, premunt orcum.
Pupilla Salo eiusmodi innatans, gemmæ pretium habet.
Sic Barberinæ Apes,
Favum Samsonis coluerunt.
An *Rosam Mysticam* examen hoc Sacrum coronavit?
ut

ut cæli ambrosiam sugeret.
Sic patriâ Florentinus Pontifex,
Hortum Conclusum in flore haberi voluit.
Probi odoris Principes, thymiamate Cælo acceptiores.
CLEMENTIS X.
in MATREM Clementiæ pietatem quid memorem?
Legati Apostolici à latere in Regno Poloniæ Provinciam tenēs
nihil magis in Votis habuit
quam cor Częstochoviensis Divæ occupare,
Sed quâ meliùs ratione Cor MARIæ rapere potuit?
quàm dum filium eius in manus gestandum accepit.
Grande irritamentum amoris Parentum,
gloria filiorum.
Primam hostiam,
in Virginis Sacello magnus Sacerdos obtulit,
ut hostia MARIÆ ipse fieret.
Ad Aram refugij,
reorum multator & Judex primitias offerre debuit.
Regias Agni dapes Mensa MARIANA suffecit,
quasi *mamillâ Regum* alibi lactari non posset,
nisi penes Matrem Claromontanam;
& *Frumento* vesci *Electorum*,
nisi penes *Acervum tritici* MARIAM.
Et sane
ubi meliùs *Panem Angelorum*,
vel juxta alios *Panem fortium*, sive *heroum* manducaret?
quam ubi *Castrorum Acies ordinata* stetit.
Ubi *Vinum germinans Virgines* offerret?
quam in domo Virginis,
quæ*quasi Vitis fructificavit*,
Brevi è Clari Montis auspicijs,
ad Capitolium Vaticani profecit.

 Orbis

Orbis Caput electus,
qui elegit ad pedes MARIÆ esse abjectus.
Sed et hic *Servus Servorum DEI*,
Ancillæ Domini non est oblitus.
Prima ejus cogitatio de DIVA Częstochoviensi
eò dignior, quò sub terno diademate tutior.
Et hæc est Clari Montis gloria,
quod Pontificias quoq; fatiget mentes.
Exitialis eorum incuria,
qui Superûm curam non gerunt,

GEMMA III.

Sive
Regum Poloniæ erga DIVAM Claromontanam pietas.

QVis in Venerationem non cadat MARIÆ?
ad cujus Vestigia magni jacent Statores,
per quos Polonia stetit,
Liberæ gentis Domini,
libertatem autumant,
jugum pati servitutis MARIANÆ.
Cum purpura habitum pietatis induunt.
nec erubescunt vel in murice,
coronata Virginis dici mancipia.
Ita Regum ligantur vittis,
ut se MATRI Numinis sentiant obligatos.
Ita populis dant imperia,
ut Imperatricis Cælorum ferant.

Re-

Regnorum Sceptra manu potius DEI, quàm Principum rotantur.
Primus in medium prodeat,
SIGISMVNDVS,
affectu in DEIPARAM haud ultimus.
Victoriosum hoc Nomen, ex ipso etiam Rege victoriam tulit,
Oblitus scilicet suæ Maiestatis
Servum se MARIÆ fecit.
Ex opifero regnorum opifex Marianus.
Quò se pietas non demittit, ut Cœlum non amittat?
ex fabro fortunarum Regni,
tandem aurifaber MARIÆ.
Assvetam sceptro dexteram, malleô exercuit,
dexterrimus Princeps.
Argenteam ipse fabricavit Crucem,
forti manu ad forcipes damnatâ,
quam Częstochoviensi DIVÆ
in trophæum erigeret.
Novus extra Imperiũ Orientis Heraclius
ut crucem exaltaret Domini,
pro Golgotheo Colle in Montem Clarum extulit.
Super aram Virginis collocavit,
ut non tantùm in Calvariæ clivo,
sed etiam in Monte Claro
staret juxta Crucem MARIA.
Nunquam inefficax Regum in aras liberalitas,
dum sacras auget divitias, augem gloriæ occupat.
Age Coronate aurifaber SIGISMUNDE!
cum hac una Cruce,
mille tibi benedictiones procudisti.
In hoc Signo,
magno non impar Constantinô,
vinces ipsam de tua pietate famam.
Si quæ sortis adversæ nubila oborta fuerint,

 diss

dissipabuntur ad Crucem Tuam.
Pro Cælo laborantibus Cælum allaborat.

VLADISLAVS IV.

Purpura rubicundus,
amore in MARIAM candidus.
Ut diem beatæ æternitatis ageret,
ad aram Claromontanæ VIRGINIS,
Noctem sæpiùs insomnis egit.
Talis Vigilia ad Solemnitatem Cælestis conducit gloriæ
Non potuit non exaudire Regina supplicem,
ad quam toto clamavit corde,
dum medium silentium tenerent omnia.
Vocalis fuit hæc Vladislai pietas,
dum qui manu hostes,
linguâ Cælum expugnaret.
Noctis umbrâ tegi non poterat devotio Serenissimi,
quam tot oculis,
quot accensis sideribus spectabat Cælum.
Magno pretio væneunt preces, quibus emitur DEUS,
Sanitatis beneficium à Matre pietatis accipiens,
totum se in beneficia Clari Montis dedit.
In pedes erectus ex morbo,
Infirmitatis esse credidit, curru vehi.
Vidisse erat pedestrem Maiestatem,
quæ Cervicibus hostium nuper insidebat.
Ne quid fortunæ debere videretur,
rotâ vehi licèt iam provectus recusavit.
Novit scilicet
vitam Principum astrorum iactu non sortis aleæ mensurari,
Rosam igitur auream,
***Rosæ Jerichuntinæ* inseruit,**
optimi odoris Princeps.
Cessit hæc in sertum Filio,

ut

ut ſpinis Coronatum caput
roſa etiam redimiret.
Ita quodcunq; decorum eſt,
vepribus difficultatum ſepiri amat.
JOANNES CASIMIRUS
regio potitus malo
aureos Heſperidum fructus Claro Monti transplantavit,
Optimam ſcilicet Matrem bonis regijs auxit,
Cæli Dominæ terram oppignoravit,
Et bene
in gratiarum pelagus gratias affundit liberaliter,
& ipſe gratia JOANNES.
Quidni Virginem colerent CASIMIRI Lilia?
Regni Comitia inſtituit Częſtochoviæ,
ratus nullibi prudentiùs tractari Conſilia,
quàm in Domo Sapientiæ.
Facilè Reipublicæ Claſſis
contentioſum rationum enavigat pelagus,
cui pro Caſtoris & Pollucis Sidere affulget Stella Jacob.
Diviſos animorum ſenſus cogit ad unionem,
Mater unionis hypoſtaticæ.
Æſtuabat in muniendo Virginis fortalitio operoſus labor,
ſed nec CASIMIRUS hìc refrixit.
Pro Sceptro ligonem arripuit.
& ut ſe MARIÆ oſtendiſſet Cultorem;
terram coluit fodiendo.
Eâdem manu humum aggeſſit in cumulos,
quâ hoſtium aggeres cumulabat,
ut meritò valla ſuperbiùs intumeſcerent,
quod ad illorum erectionem ſe Princeps humilis demiſiſſet.
Aſſurgunt in pretium labores, ad quos ſe inclinat Majeſtas.
MICHAEL KORYBUTH
quo cultu Reginam proſequebatur Cælitum,
Angelica deſcribet penna,

quo affectûs pondere ad Virginis flectebat obſequia.
non niſi Archangeli librabit bilanx.
Lunæ Korybuthòrum hæres,
omne ſerenum Solis Genitrici ſe debere credidit.
Unde quotiès in horoſcopo Clari Montis comparuit,
ſemper plenilunium gratiarum præſetulit.
Quod ſibi mortuus, totus MARIÆ viveret,
cor primum vivens, & ultimum moriens teſtatur,
dum illud aurô fabrefactum ad Virginis appendit aram.
Theſaurum Korybuthi MARIAM dixeris,
cui cor devovit,
Nám ubi eſt theſaurus, ibi & Cor.
Incluſit huic Cordi ſchedam,
qua ſe DOMINæ obtulit in mancipium,
dignus filiorum DEI libertate Princeps.
Eleonorã Leopoldi I. Imperatoris ſororẽ
in ſuam ducens Conjugem,
ad Sponſam immaculati deduxit Agni;
ut quæ Nuptijs in Cana Galileæ adfuerat,
in Polonia Regum adeſſet ſponſalitijs.
Ardent Caſto igne Hymenæi tædæ,
quæ ad aram Virginis ſunt accenſæ,
JOANNES
Nomine Tertius,
bellicâ felicitate Secundus,
amore in MARIAM primus.
Ut verum ſe probaſſet JOANNEM,
MATREM DOMINI accepit in ſuam.
Priùs Clarum aſcendit Montem,
quàm regale Solium.
priùs Caput in reverentiam Virgini acclinavit,
quàm frontem ſubmiſit Coronæ.

Noluit

Noluit Virgam directionis in manus ſumere,
donec *Virgam Jeſſe* adoraſſet.
Quaſi *unctus Domini* non poſſet eſſe,
niſi illam ſupplex exoraſſet,
cuius *Nomen oleum effuſum*;
nec Sereniſſimus valeret dici,
niſi ſerenitatem tituli à Monte Claro derivaſſet.
Ignes quos fovit pectore,
in argentea magni ponderis accendit lampade.
Tepidum ne dicas amorem!
quia *lampades ejus, lampades ignis, atq; flammarum.*
Oleum operamq; non perdidit,
dum oleum Olivarum alendis providit flammis.
Novam in Monte Claro accendit Pharon,
ut inter bellorū procellas ad portum felix perveniret.
AVGVSTVS II.
dum nihil non auguſti agit,
ad Cæleſtis Auguſtæ veſtigia ſe abijcit.
Scilicet communi orbis oraculô,
Servire MARIÆ regnare eſt.
Novum prognoſticon felicis imperij habetur,
ex conjunctione coronati Solis cum Luna,
quæ pedes DOMINæ allambit.
Imò
in faſtigium evaſit, qui ſe in venerationē Superûm dejecit.
Verè Secundus,
quia MARIÆ cultu feliciſſimus.
Binæ hæ baſes fulcra fiunt Reipublicæ,
ubi Reginæ Cæli ſuffulciunt honorem.
Saxonicus Princeps,
cereum cor gerit,
cui tam facilè impreſſa pietatis in MARIAM Idæa.

Non ægrè contrahit Regum amores Medela Mundi.
Nullum ille non lapidem movet,
ut MARIÆ cultum fundet.
Sacri Romani Imperij Elector,
Electam ex millibus sibi in Tutelarem eligit,
dum Coronatæ sideribus,
auream Coronam defert.
Vitiosus Coronarum circulus est,
qui centrô orbis MARIA caret.
Incendit adamantibus Sphæram hanc, pro astris;
gemmis distinxit,
quas *Mari gratiarum* debuit.
Amantem MARIÆ judices, ex tot adamantibus.
Coronam Regni ut exornasset,
nobilissimam illi inseruit gemmam, Camenecum;
diadema Virgineum ut decorasset,
cor suum affixit.
Proba sanè munera, quibus amor probatur.
Non ita flammis Lyparæ,
quàm æstu ferventissimi affectûs,
excoctum crediderim Coronarium hoc aurum.
Incudem Regia,
ictus malleorum,
pulsus cordis præstitêre.
Felix amor,
qui tantæ Virgini adstipulatur.
aliàs
Excruciant suos Ixiones diadematum rotæ,
nisi in manus eius
consignentur,
quæ
designat regnorum beatitudinem.

GEM-

GEMMA IV.
SIVE
Magnorum Campi Ducum in Divam Claromontanam religio.

BEllaces etiam Aquilæ pacis Arbitræ militant;
& *Caſtrorum Acies Ordinata*,
à Caſtris colitur.
Decet Martis Signa,
ut *ſignum Magnum in Cælo* MARIAM venerentur.
Dubia eſt belli alea,
quæ fortunæ manu, non juſſu ſuperûm regitur.
Perditæ ſortes,
quæ ſuffragium Cæli Dominæ non ſortiuntur.
Cāpeſtres animæ bello gēs Nata Poloni,
non ita hoſtili rubent ſangvine,
ut erga MATREM Numinis candorem non præferant.
Et licet ferrum ſemper tractent,,
pretium tamen aurearum eius dotum noverunt.
Deplumant ſe Martiæ Volucres,
in tributum *magnarum alarum Aquilæ*;
Sanctiorem Bellonam dixeris,
cujus nutu exercitus tenentur.
Inter reboantia Gradivi tonitrua,
non aliam in conchis pectorum gemmam,
concipiunt Heròés,
quam gemmeam in Reginam Cælitum pietatem.
Miſſilibus eorum telis ſcopus eſt MARIA,

 non

non ut feriant, ſed ut ferientur.
In ejuſmodi Sagittario,
Electa ut Sol MARIA gaudet horoſcopari.
Si cruenta Martis ingruat Athletica?
pro Ceromate
Oleum effuſum nomen expoſcitur MARIÆ,
ſi decumana belli inſurgat procella?
Clari Montis reſpicitur Promontorium;
an Inſula fortunata?
hic proſternuntur ſupplices,
ut hoſtes ſternant;
de genu pugnant,
ut Caput Orientis flectant;
& dum fronte terram arietant,
mœnia concidunt.
Plures aliquando pugnax lingva precibus,
quàm armata catapultis manus numerat triumphos.
Fulminatis igitur ope Virginis hoſtibus,
ad Anathemata ſe conferunt.
Præter ſpolia, ſe ipſos exſpoliant,
& inſigni tutelæ cedunt inſignia.
Clavas argenteas
in toga Conſules, in ſago Duces,
Martinus Kazanowſki, Stanislaus Potocki, & Jabłonowſki,
ad aram VIRGINIS appenderunt.
ne de belli ſucceſſu penderent animis,
Præliares Aquilas,
Columbinæ innocentiæ Virgini dicârunt,
ut ſecundis avibus volarent, ad triumphos.
Bellonæ manipulos *Acervo tritici* devoverunt,
ut certam laurearum haberent meſſem.
Quoties ergo *Januam Cæli* pulſarunt precibus,
toties Ariete Portam Othomanicam expugnârunt.

Ne

Ne inter bellicos æſtus langveſceret heroa virtus,
fulciri *flore Campi*,
ſtipari *Roſa myſtica* debuerat.
Irrita non ceciderunt vota,
quibus Victoria ſtetit.
Adfuit in auxilium *Mulier amicta Sole*,
& ferrea Gradivi tempeſtas ſerenata.
Viſitarunt in Virga ferrea Scythiam,
Virgà Ieſſe adjuti,
Facile erat detonare in barbaros,
Aquilâ magnarum alarum fulmina miniſtrante.
Vernant triumphales herbæ,
dum Rore Cæli irrigantur.

GEMMA V.

Seu

Miraculoſa B. M. V. Claromontanæ ab expugnatione Svetica defenſio.

HVc divine Phidia, huc Praxiteles!
Statuas mihi fingetis in marmore,
quæ in marmor obrigeſcentes Svecos præſentent;
aut
animata hæc Saxa circumcidite,
quos incircumciſæ auris fecit hæreſis.
Scindantur fabrili celo,
qui Cæli Dominam lingvâ proſciderunt.

Ineſt ſua ſemper ſceleribus mulcta,
& nocentes ſibi nocent.
In uno lapide geminos ponite gregarios,
qui dum ſcloppos in Iconem MARIÆ explodunt,
pænè in lapides obſtupuerunt.
Alteri manus extenſa obriguit,
alterius baccæ ſclopetum accrevit.
Ille, quia nunquam in Cælum manus levavit,
vel ſi levavit? impiè
in pænam extenſò brachiô hæret;
Iſte quia os effrene blaſphemiæ laxavit,
frænum accipit in ſclopeto.
Errabundæ in via ſalutis hæreſes,
vel his indicibus iter ad Cælum diſcite,
Plectuntur ſæpè mali, ut peſſimi flectantur ad bonum.
Tutæ jam ſunt Sacræ divitiæ,
ubi manus militum rigeſcunt.
Imò greges integri,
dum peſſulus ori impoſitus.
Quid? reprobatis reproborum ſculpturam?
MARIÆ hæc trophæa.
Ad ferream Sveticæ obſidionis Coronam,
ejuſmodi lapides pertinebunt.
Sed ô pertinax Crimen!
integris brachijs non digitô tantùm,
expungit oculos Svecis Veritas,
& cæcô furore in pejus aguntur.
Quaſſatur arietibus Agni immaculati MATER.
Plumbô volatili pulſatur *Domus Aurea,*
Evomunt ignem tormenta, ſtygis venenò infecta,
imò & amyſtide furoris ebria.
MARIA muros obambulans globorum meta.
Pudeat viros inferre bella Divæ Virgini!

ſed

Sed irrationabiles Duces,
vel ipſa globorum ratio erudire poterat,
dum exploſi in Arcem MARIÆ,
Caſtra hoſtium petierunt.

Nimbus hic plumbeus,
qui Catacliſmum Sangvinis minabatur Claro Monti,
ad exortum *Arcûs fœderis MARIÆ*
reſedit,
& hoſtium exundationem inundavit.
Mortiferâ glande ſuâ ſaginatus Leo Sveticus,
didicit Polono abſtinere ſangvine.
Nihilominus promovet aſſultum,
ignarus ſuis ſe telis confici.
Ad tot fulmina, nube Arx induitur,
ſeu quòd & ipſa fulmina,
contra fulmina pariat,
ſeu quòd novum Æneam in Lybicos Leones portet.

Satius tamen puto,
Clarum Montem Collis Horeb æmulum,
præſentis Majeſtatis Divinæ hoc ſignum dediſſe.
Ibi in tabulis Moyſis DEUS leges ſcripſit,
hìc è libro Vitæ, legum violatores eraſit.
Sed redeo ad vos Phidia & Praxiteles,
Statuis illis Svecorum lemma adijcite:

Reginæ Cœli rebellis Aquilo,
ut DEO
Virgineæ ædis flori,
gelidam hyemem lethi minatur,
inter Martios ignes ſpe omni emarcuit.
Victus à ſe ipſo,
metu fugatus,
pudore propulſus,
in hoc marmore veſtigia cladis reliquit.

GEMMA VI.

SIVE

Augusta B. M. V. Claromontanæ Coronatio.

ADeste populi!
inaugurationis regiæ peraguntur Solemnia.
Coronatur in tempore,
Electa ab æterno Regina Orbis.
Pridem illi hoc debebatur diadema,
nec serò redditur,
quia ipsô suæ Nativitatis die.
Magnæ mentes niveam non expectant canitiem,
ut ad purpuras candidentur;
ex fascÿs assumuntur ad fasces,
& ex cunis adhuc ascendunt thronos.
Idem illis est vagire, quod reliquis imperare.
Ferax fructuum autumnus
etiam Claromontanæ Virgini,
fructus honoris attulit.
Optima Regum bellaria, aurea Regni mala.
Quantus quantus est hic ignium dies illustrium!
ab Albano arsit Sidere,
& ad Superos usq; promotus honor,
Clementinis surrexit è Collibus.
Verè Beatissimus Pater!
CLEMENS XI.

qui

qui Matrem illam Coronâ donat,
quam filiæ Sion Beatissimam prædicaverunt.
Vnum ex Apocalyptici Principis Senatu,
dixeris,
qui Coronam suam
mittit ante *Thronum* *DEI*,
Nisi malis
Ducem Exercituum Domini nuncupare
qui Mysticæ huic *Arcæ*
Coronam circumdat auream.
Sponsus Ecclesiæ DEI,
Spiritûs Sancti Sponsæ aureum offert sertum.
Coronat fontes bibitura Antiquitas;
Neq; *Fons signatus* *MARIA*,
suô caret diademate.
Aliàs Capitolio Vaticano,
orbi ademptæ inferebantur Coronæ,
ut nunc in Coronam MARIÆ se inclinaret Vaticanum,
tot Coronis augustum.
Et bene est,
non juvat ex humili lecta Corona jugo;
ex alto diadema veniat,
ut altiorem Cælô coronet MARIAM.
Veni de Libano Clari Montis, Sponsa Numinis!
coronaberis de montibus
non pardorum, sed CLEMENTIS Maximi.
Illius Stella, Stellatam tibi concinnat Coronam,
Gnossiacô sertô digniorem.
Addit ad Coronamentum
& Stemmaticas suas ROSAS,

Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,

D. CHRISTOPHORUS JOANNES

IN SŁUPOW

S Z E M B E K,

Chełmensis Præsul,

Natam in Patria florum Nazareth Virginem,

patritijs floribus ornaturus.

Quanta hæc Chełmensis Tyaræ gloria!

quod illius coronet verticem,

per quam Reges regnant.

Invenisti Præsul Maxime

in hoc Coronario Circulo felicitatis Centrum.

Hæc Sphæra

æternitatem gloriæ nullâ terminandam periodô

Tibi præfigurat.

MARIANI diadematis rota,

ad altiores honorum ascensus Te provehet.

Capit MARIA Sceptrum,

ut hoc indice

Tibi primam, id est principem

Polonis secundam, id est felicem,

designet horam.

Cum hoc Coronæ Circulo

Polonum Orbem accipit in tutelam

Regina Polonorum.

dolori: vigiliæ: delirio: profundo somno: anhelitus difficultati: tussi: inquietitudini: oris vlceribus: anginæ: pleuritidi: singultui; hęmorrhagiæ: diaphoretico sudori: ardenti febri: ingenti siti: vermium affluentię: vertigini: hypochondriorum tensioni.

Hæc, & infinita alia synpthomata, morbique cum febre pestilenti coniungi possunt, quorum tractationē si agredi hic vellem, esset omnium curationem morborum instituere, præter nostrum obiectum.

Sufficiat tantum tractasse de bubonibus, carbunculis, pastichijs, quæ pestilentis febris propria sunt. Et hæc dicta sufficiant pro malignæ, pestilentisque febris curatione; nunquam tamen cessando Deum ipsiusque Gloriosissimam Genitricem humiliter deprecari, vt eius fidelium saluti tutò, iucundè, & citò inseruiant.

HYA-

in 8. phisic. t. 78. affirmans, nec à ... ri actionem prouenire, motoris e... necesse est superare mobile.

Ad Confirmationem responde... asserit in 3. de temp: in fine, qui p... traria medicamenta secundum g... æquana fore adhibenda; iddem asserit 3. de simpl. med. facul. c. 12. & 1. de alim. facul. c. 1. & *Auerr.* 7. colliget 3.

Respondetur secundo conciliando dictas authoritates, quod à contrario duplex potest fieri actio, vt Aristot. placet, vna, quæ suum oppositum superet: alia, quæ minuit, & contemperat. Prima actio fit statim, secunda progresso temporis: sed in febre maligna prima indigemus, non secunda, quia morbus acutissimus est, in quo natura veluti emortua manet, secunda vti poterimus in miti, & blando affectu, etiam si auxilia inferiora fuerint tutò his repetitis morbum necare conuenit, natura, quia recte valet, dominiumq; supra morbum habet, quouis auxilio ei præstito, morbum depellit.

Obijcies septimo potest ne ante purgationem dari potus aquæ? magis enim illum competere ante quam post, experientia docet, nam in morborum initio aliqui tenues, & biliosi humores pruriunt, qui purganti medicamento facile cædunt, & expurgantur, & crassi demum remanent, qui potum dari aquæ prohibent.

Respondetur, & si cum Auerroe in lib. 7. colliget c. 8. assero posse aliquando dari potum aquæ absq; vllo signo concoctionis, attamen melius iudico, in febre maligna post medicamentum purgans aquam sumendam esse quam ante, nam eo tempore minus potest obstruere, maioremque partium refrigerationem in-

frigidæ, quæ nam ...

Respondetur status est hora conueniens, cum Auicenna dicente in capite de cura febris sanguineæ, & melior horarum adhoc est hora vehementiæ ebullitionis,& angustiæ,& inflammationis, & frequentiæ pulsus cordis (& si dari possit casus, in quo in principio accessionis magis competeret, quem admodum accidit Galeno,qui vt ait in 10. meth. cibauit syncopis timore febre tertiana interpolata laborantem parum ante paroximum,& ei debit potum aquæ)& licet in statu plures sint humores, & vapores quorum resolutio est apta per potum aquę frigidæ impediri, non autem in declinatione : attamen quia in declinatione est apta magis nocere, cum calor in declinatione sit minus resistens suæ extinctioni, quam in statu, & per consequens mēbra,& spiritus sunt apta magis lędi per superfluā infrigidationem : vnde extinguetur calor naturalis extincto febrili.

His positis Respondetur ad obiectiones positas in primo loco probantes non competere potum aquæ malignè febricitantibus,& ad primam tali pacto,exhibita aqua prædictis conditionibus supra iactis,non solum non erit timor casus virium verum, illæ reuiuiscent : dicente Auicenna : multotiens enim adiuuat ad expell endum materiam cum solutione naturæ,aut per vomitum,aut per vrinam, aut per sudorem, aut per omnia illa,quare fit statim, vt sanetur.

Ad secundam, etsi aqua quatenus humida est habet posse augere putredinem,attamen, quia cum rebus aridis,illam sumendam esse diximus potius contrarium causabit.

Ad

rit Galen. 8. method. c.3. & ...

Ad quartam Respondetur,primo,& si adsit aliquādo inflammatio attamen, sumpta aqua conditionibus prædictis nō nocebit quia non habebit vim aggregādi materiam, & inspissandi eam : quia res auidæ faciunt ipsam citius penetrare.

Respondetur secundo,cum Gentile,quod in tali casu detur calida,& in notabili quantitate,adiuuabit.n. ad digestionem humoris, sitim extinguet humectando,& humores,qui sunt causa sitis à stomacho lauando,neq;timetur inflammatio corporis per ipsam: tum quia citius penetrat, & à corpore educitur: tum quia per antiparistisim non inflammat corpus sicut aqua frigida.

Præterea si aderit inflammatio, quatenus conditio contradicans erit,seruari debet regula suprapositā,& sic etiam Respondetur ad vltimam obiectionem in contrarium adductam. Esset hoc loco agendum de alexipharmacis congruentibus febre maligna pestilētique febricitantibus pro medela venenositatis, cui magnopere sagax medicus vacare debet,sed quia affluenter in tractatū de præseruatione de illis egimus eum adeat lector, & nihil administrationis illorum in hac febre congruę eum latebit.

Esset etiam postea tractandum de sympthomatum curatione,sed in hoc neq; tempus consumere intendo, quilibet enim medicus potens est eis medelam præstare : vt syncopi, animique deliquio virtutis debilitati,nauseæ,ac vomitui: stomachi morsui : alui, aut stipticitati,aut fluxui : capitis,dorsi, & lumborum

do-

